



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

De aliis Montibus, qui alibi in usu sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

pecuniam acceptam insumpturus, antequam pecuniæ va-
lor Principis auctoritate diminuatur, quia mutuans utitur
iure suo, & nihil accipit supra sortem. *ibid. nu. 13. & seq.*

Mons pietatis.

Videv. *Vsura.*

A D D I T I O.

Mons pietatis est pecuniæ, rerumve pecunia æstimabi-
lium summa, in pauperum commodum reposita. Datur mu-
tuo pecunia, ad breve tempus dantur pignora, ne pauperes
solvere negligent, & mons deficiat: hæc vendi solent, nisi sta-
tuto tempore pecunia reddatur. Qui mutuo pecuniam acci-
piunt, singulis mensibus exiguum quid solvunt, ad alendos
ministros. Tres conditiones necessariæ sunt. Prima, ut mons
nihil lucretur; Secunda, ut quod mutuarius solvit, pro
montis indemnitate accipiatur; Tertia, ut nihil accipiatur
ultra expensas, &c & id, quod pro obligatione montis ad
mutuo dandum licitè accipi potest.

De aliis montibus, qui alibi in usu sunt.

Principes aliqui, vel Republicæ summam annuorum re-
dituum vendunt, quæ summa Mons dicitur. Pro reddituum
varietate variis nominibus montes appellantur, ex quibus a-
lii sunt perpetui, alii temporales, quidam sunt ad modum
census, & reddunt decem pro centum. Sunt autem liciti
montes, 1. si redditus sunt veri, 2. si non plures pecuniæ ac-
cipiantur, quam redditus fuerant, 3. si cum redditus, temporis
spatio minores fiunt, minus accipiatur, (si tamen obligatio
præcessit, ut imminutis redditibus, imminuantur annuæ pen-
siones,) 4. si pereunte monte, pensiones pereant. 5. si mons
temporalis majores reddat pensiones, quam perpetuus. 6. si
Principes gravi aliqua necessitate adacti, hos montes eri-
gant. Hujusmodi pensiones aliquando pluris venduntur,
quam emptæ fuerint, raritas enim reddituum emptibilium
pretium auget, & hoc est licitum.